





Pr. I. g. 1. num. 31. fol. 37.  
1714, 8  
20 DEDICATI  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE  
**LEGULEJISMO,**  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**PHILIPPO WILHELMO,**  
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRAE CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum MO-

GUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-

GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE

ERFURTENSIS PRO-PRINCipe;

ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS CONSENSU  
IN PERANTIQVA ELECTORALI ERFURTensi UNIVERSITATE,

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CAPESSENDI,

AD DIEM XXI. JUN. M DCC XIV. HORIS LOCOQVE CONSuetis

PRIORI VICE

PUBLICÆ DISQVISITIONI SUBJICIT

**CHRISTIANUS SchöN.**

KÖNFIRED  
UNIVERS  
ZV HALLE

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, AGAD. TYPEGE.

Dissertatio Juridico-Naturalis

DE

# EGALISMO

ET  
GAV

RECUSATIONE MAGNIFICENTISSIMO

REVERENDISSIMO ET VENERABILISSIMO DOMINO

DOMINO

# PHILOPHILICO-AUTHELMO

SRII COMITE DE BONNIRE

ET  
SOCIIS ET CURIIS HABITATIS MATERIALE CONVENTUO IN  
CIVITATE GENEVÆ AC MONS LUCANO TANARUM FOCALEM MO-

RENTIA ET PRAEFECTURA PROVINCIAE TERRITORIORUM MO-

RENTIA PROVINCIAE TERRITORIORUM MO-

KÖNIGLICHER  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

# PRO LEGITIMIA

SUMMOS IN ALEROGLAE IURE HONORIS

ET TRAIIECTIA DOCTORALIA

ET CULTISSIMA

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS

ET DILEcta ZYBNI A DECIBUS; NOBIS LOGO; A CONSISTENS



## PROOEMIUM.

**M**iseram esse conditionem Jurisprudentiæ nostræ, cordati rerum æstimatorum saepe haec tenus annotarunt. Ut verò multa sunt mala, quæ nobilissimam hanc disciplinam graviter affligunt: ita duo præ ceteris eminent vitia, Jurisprudentiæ nimium quantum infesta, *Legulejismus* scilicet ac *Rabulismus*. Frequentia sunt inter literatos legulejorum & rabularum nomina, nec segnius illa retorqueri quam inferri solent: verum res ipsa ejusque indoles non usque adeo liquida aut ejus explicatio ubivis obvia & statim expedita videtur. Quod Rabulismum, malitiosum legum positivarum abusum, attinet, Beatus ZIEGLERUS nomen illud prolixa Differ-

tatione graviter eleganterque exposuit: Sed Legulejos & Legulejismum in scena spectare nondum licuit, ego sanè a quo peculiari opera id argumentum fuerit expensum, hac tenuis yidi neminem. Hinclaborem non penitus inutilem fore existimavi, si de LEGULEJIS & LEGULEJISMO aliqua dissererem. Eo autem ordine decurret universa tractatio, ut  
*Capite I. de Legulejismo in genere; Capite II. de Legulejismo in Jurisprudentia privata; Cap. III. de Legulejismo in Jurisprudentia publica; Cap. IV. de Legulejismo Theologico; Cap. V. de Incommidis, Causis, & Remediis bujus morbi; Cap. VI. de Comparatione ejus cum Rabulismo, Grammatico legali & Arte formularia agam.* Prolixius est hoc argumentum, quam ut brevi Dissertatione exauriri queat; hinc impræsentiarum *Caput Generale* tantum, reliqua verò impostrum suo loco & tempore expediam. Glaciem fregit in hoc negotio B. TRITIUS, qui quidem in suis passim scriptis Legulejorum inceptias bene observavit, justè perstrinxit, solide refellit. Speciatim quoque ad rem præsentem facit eruditissima ejus oratio, qua libertatem juri-

ORI

A

juridicam delineavit atque circa finem de ser-  
 vitute illi opposita, Legulejismo scilicet aliqua  
 subjunxit. Mentionem ibidem fecit scripto-  
 ris cuiusdam Anonymi, qui *Medicinam Rabu-*  
*tismi & Legulejismi* ediderit; uti verò illud alexi-  
 pharmacum nunquam vidi: ita propria me-  
 ditatione fretus, ut ejus videndi copia mihi  
 fieret, nunquam fui sollicitus, maxime cùm à  
 prudentissimo TITIO addita sit epicrisis, in illo  
 scripto vel genuinam morbi explicationem  
 vel justa remedia frustra quæsitus iri. At  
 non semel me usum esse Titii placitis, qua-  
 liscunque hæc exercitatio non dissimulat.  
 Nam præstantissimus ille Jurisprudentiae Heros,  
 quid præstiterit in emendanda sua disciplina,  
 pro me loquetur fama ac veritas. Ego sanè  
 felicem prædico diem, qui scholas illustris  
 Titii mihi aperuit, quibus Pedantismum, Ju-  
 risprudentiæ nomine sæpiissime tegi solitum,  
 penitus cognoscere licuit. Atque ut inde re-  
 vertar, quo me paululum abduxerat debita  
 erga Fautorem ac Præceptorem post fata de-  
 venerandum pietas, non diffiteor præsentis  
 thematis rationem ita esse comparatam, ut

A 3

fusce-

susceptum negotium exiguae meæ vires forte non sustineant. Interim, uti rogandus est benevolus Lector, nolit exactum hic requiri laborem, siquidem, ob temporis in quas præter opinionem incidi angustias, extemporalia hæc ferè sunt & festinatæ meditationes: ita, quod semel placuerat argumentum, deserere nolui, sed illud, si non quantum satis est ad plenam eruditamque tractationem, quantum tamen ostendendo conatur sufficit, ex parte impræsentiarum exposui.

## CAPUT I. DE LEGULEJISMO IN GENERE.

L



Ic igitur quæ sit decantati illius LEGULEJISMI natura atque indoles, paucis evolvere tentabimus. Nomen illud a LEGULEJO, Legulejum a Lege ortum esse, dubium non mereatur. Et Leguleji quidem vox satis latina est, ipsi quoque Ciceroni usitata *L. i. de orator. c. 55.* Sed Legulejismi vocabulum natales non adeo ingenuos habere, jura tamen civitatis Romanæ facile consequi posse videtur, quemadmodum etiam receptum idem ac notum est. Certe Leguleji nomen, originario sensu acceptum, notat hominem, qui

qui legum studia secessatur & causas agit, imo Cicero in *I. c.*  
 Legulejum vocat *cauum & acutum actionum preconem*: Hinc  
 olim ad honorem relata esse videtur ista nuncupatio, nec  
 ignotam est, quod antiqui interpretes, a legum cognitione,  
*Legifile*, a canonum peritia *Canonis* dici voluerint, v. DIFFER-  
 ENT. JUR. CIVIL. & CANONIC. ad Schilt. I. J. C.  
*theſ. r. p. 618. 620.* LANCELL. de *Compar. Jur. ur.* sicut hodie  
 que specialium objectorum notitia Civilistarum, Criminalista-  
 rum, Feudistarum, Publicistarum, similiusque nomina pro-  
 duxit.

## II.

Interim Legulejorum titulus, ut in naturali & hono-  
 rifica sua significacione spectatus laudem aliquem indicet,  
 ad infimum tamen scientiae legalis gradum pertinuisse vide-  
 tur. Nam Romanorum ille Politicus & Orator, in loco ante-  
 memorato, per cauti & acuti actionum praconis notam,  
 Legulejum a Jcto discernit, ut adeo Legulejorum artes in  
 confinio lucis & noctis h. e. usus & abusus constitisse, ex eo  
 satis appareat. Quæ quidem sententia stare poterit, siue per  
 actionem, cuius præco fuit Legulejus, ipsam juris allegatio-  
 nem in foro factam, siue solennem Romanorum agendi for-  
 mulam intelligas, nam a peritia formularum Legulejus etiam  
 formularius, & ab eodem Cicerone l. c. formularum can-  
 tor festive vocatus est. *j. l. 2. §. 7. de O. J. l. 1. C. de Formul. &*  
*imperat. action. sublat.*

## III.

Sed ad rem ipsam accedendum est. Et quemadmo-  
 dum non raro fieri solet, ut aliarum rerum, bonitate sua de-  
 cipientium, nomina degenerent: ita Legulejorum titulo, ab-  
 usui jam confini, idem facile accidere potuit. Nimirum  
 Leguleji nomen abusu magis magisque invalecente ad vitii  
 significatum deinde reflexum est, adeo ut non temere quis  
 honorem sibi haberi existimet, si Legista salutetur aut Legu-  
 lejus. Et ita est: Leguleji & Legulejismi nomina, mor-  
 bum siue pravum Jurisprudentia statum notant. v. B. TITII  
*Orat. de libert. Jurid. p. 30.*

## IV.

Etenim, ut Jurisprudentia sana & vera genuinam legum cognitionem denotat, aut habitus est, leges resque iis connexionas recte intelligendi, eo fine acquisitus, ut eo deinceps uti, atque haec ratione virtutis studium & felicitatem civilem promovere queamus: ita Legulejismus, spuria illa Jurisprudentia, est habitus, leges non recte, sed absurde & corrupte intelligendi, si non eo fine, eo tamen effectu acquisitus, ut quis ea facultate uti quidem, sed neque virtutis studium, neque felicitatem civilem, bene tamen artem rabulariam aliaeque incommoda promovere queat. Porro, uti Jurisprudentia scripto comprehensa complexus legum rerumque connexarum est, aut doctrinæ inde compositæ, eo fine concinnatus, ut cognitionem necessariam inde hauriant alii, atque ita reliqui fines antea indicati sequantur: Ita Jurisprudentia Legistica, systematica accepta, est doctrina legum rerumque connexarum, bona sapè fide, sed malo ac infelici esse etiа concinnata, ut cognitionem confusam aut superficiariam inde hauriant alii ac proinde Rabulismus aliaeque incommoda sequantur.

Atque ut veram hujus rei naturam contueri liceat aliquanto propius, breviter ita habendum: **LEGULEJISMUS** est nimia, ac ultra redditum rationem procurrens legum positivarum estimatio, vid. TITII Orat. de lib. jurid. p. 30. Qua quidem definitione nativam Legulejæ superstitionis indolem satis exprimi posse putamus. Dicitur *estimatio*, quo nomine adeo *vera* vel *falsa cognitio*, apta vel inepia persuasio simul comprehenditur; Nunquam enim de pretio alicujus rei statuimus, nec eam parvi aut magni pendimus, nisi judicium affectumque estimandi sua præcedat & comitetur cognitio, aut minimum præconcepta quædam opinio.

Infectit illa, quam hic supponimus; estimatio *Legum Cultores*, forte etiam certo respectu *Theologos*, neque *Viri*, alias eruditissimi, ab illa sibi semper satis carent. An plures sint

sint Leguleji quam JCti, hoc alii expediant. Sicut autem JCti non semper sui similes procreant, ita facilis negotio Legulejus Legulejum parit. In causas morbi jam inquirere non libet, nam locus proprius hanc operam sibi reservat: interim, ut alias, ita etiam in nimia legum positivarum reverentia dari gradus, eosque satis notabiles, ex diversa dogmatum, quæ circumferri solent, ratione, ultrò liquet. Certè si fictionum aliarumque tricarum specimen leviter modo examinare ac morbidum hunc legalis doctrina statum, cum aliis comparare morbis liceat: Leguleja persuasio interdum male tantum se habet, interdum plane delirat, sèpius mala febris, aut etiam ecstasis juridica illi accidit.

## VII.

Objectum Legulejismi sunt *leges positive*; hæc autem in genere, *quoad materiam*, sunt leges iure naturali præcepta ac prohibita confirmantes & permitta determinantes; *quoad modum promulgandi*, sunt decreta imperantis, per signa arbitraria, facta scilicet, & præcipue verba declarata. Ab Auctore suo leges illæ distinguuntur in *divinas*, quæ à DEO in sacris literis, & *humanas*, quæ ab homine imperant signis arbitrariis sunt promulgatae. Quo loco notandum, quod per leges *positivas simpliciter & absolute positas* plerumque intelligamus *humanas*, cum haec tantum *positivæ* esse soleant, leges autem divina generatim spectatae & *naturales & positive* sint. Illas DEUS promulgavit per rationem, quæ cognitionem voluntatis divinæ ex natura humana haurit; has ex Scriptura repeti, jam indicatum est.

## IX.

Non solum circa leges *positivas humanas*, sed etiam *positivas divinas* occurtere conceptus legulejos atque adeo Legulejismum esse vel *Theologicum* vel *Juridicum* plane arbitror. Interim uti leges *positivæ humanæ* proprium absurdæ estimationis objectum constituerentur, testante hoc experientia & suadente rei indole; ita impræsentiarum ad

B

Legu.

Legulejsum Juridicum respicimus, paucis tamen suo loco etiam delibatur Theologicum.

IX.

Quodsi nunc leges humanas in sensu latiori, cuius-  
cunque demum sint originis, recte supponas, tum publicæ  
sunt, quæ statum Reipublicæ; & private, quæ res privatas  
attinent, utræque etiam a specialibus objectis novas for-  
tiuntur denominations, ut *civiles*, *feudales* & *ecclesiasticae*  
audiant. Utrobique deprehendes Legulejsum, & licet  
in Jurisprudentia potissimum *private* ille dominetur, magnas  
tamen partes etiam habet in Jurisprudentia *publica*; cetero ex-  
sequenti tractatione amplius constabit.

X.

Nihil autem hactenus resert five leges illæ sint expref-  
ſe vel *tacite*, *domesticæ* vel *extraneæ*, quo pertinet Jus *Canonico*-  
*Romanum* & *Feniale Longobardicum*, nam ubique se ja-  
Etat pedanteria legificta, magis tamen circa Jus Romanum  
vum suam exserit, hinc nimiam estimationem, quæ respi-  
cit leges domesticas, dicerem Legulejsum *simpliçem*, quæ  
leges extraneas, qualificatum seu eminenter, cuius deinde ex-  
tantior species, & velut Legulejsum ~~est~~ ille censeret  
debet, cui cum legibus Romanis res est.

XI.

Porro sub legibus positivis *jura* & *obligationes*, ac hinc  
amplius exortas *affectiones morales* contineri facile appetat;  
non minus autem *personas* earumque *actiones*, ut & *res*, qua-  
rum intuitu leges aliquid disponunt, huc etiam pertinere  
atque legulejos pati conceptus, deinceps ostendam: hinc  
leges & res morales sunt objectum inepta persuasionis for-  
male ac *proprium*; personæ & res *materiale* & *commune*.

Ita igitur est: Legulejsum leges positivas estimat.  
Sed in eo formalis legulejæ estimationis ratio consistit, quod  
nimis est & ultra rectam rationem procurrit. Nimium est quod  
normam suam excedit. Hanc in rebus moralibus constituit  
lex, in aliis vera cuiusvis objecti indoles. Hinc nimis de-  
creto

cretorum positivorum aestimatio nec aequitati nec veritati consentanea est. Videamus statum quadam exempla. Justinianus docet, sape plus sperare homines de facultatibus suis, quam in iis est §. 3. I. Qui ex quib. caus. item, expellere reipublicæ ne sua re quis male utatur. §. 2. I. de his, qui sui vel alien. jur. Multi sunt, qui non audent illa asserta proferre sine allegatione horum titulorum, claro documento, quod nimis quantum aestimata effata Justiniane. Nam primum dicterium sensus communis indit etiam hominibus omni eruditione caretibus, secundum est axioma politicum Germanis circa monitum Justiniani satis cognitum, ut nihil hic laudatis titulis debeamus.

## XIII.

Porrò l. 1. §. 27. de Vi & vi arm. innuit, quod vim vi repellere licet. In l. 57. de R. J. bona fides non patitur, ut idem bis exigatur. In §. 3. I. de Empt. l. 1. C. de peric. & commod. rei vend. legimus, post perfectam venditionem periculum rei venditæ ad emptorem pertinere; item in c. 69. de R. J. in 6. dicitur, quod in malis promissis fidem non expedit observari. Hæc omnia naturalia sunt, quæ ex legibus allegatis repetere non opus est, & tamen plerique aliter sentiunt, h. e. legum naturalium indolem legibus positivis illa dictamina faltem approbantibus tribuunt, quæ quidem nimia est juris positivi extranei veneratio. Addamus illustrationis gratia adhuc alia. Juxta Jus Romanum usuræ, quæ non ex promissione debentur, sed ob moram vel collatam utilitatem alias solvendas sunt, extincta actione principali, seorsim peti nequeunt. l. 49. §. 1. d. A. E. V. 1. 4. C. deposit. l. 7. de Neg. Ges. l. 8. de eo quod cert. loc. v. LAUTERB. C. 7. de usur. lit. E. aliquaque system. passim. Quod hodie non admittendum puto, nam Romanorum sanctiones ex veteri processu formulario oriundas ac ab aequitate abeuntes in Germaniam receptas esse probari nequit.

## XIV.

Divisio actionum in directas & utiles revera non est divisio, sed unius rei ejusdemque effectus ob indifferentes circum-

cumstantias diversa denominatio, quæ & Romanis tandem otiosa visa l. 47. §. 1. de Neg. Gesl. hinc illam hodie nullius usus esse planè existimo. De sententia & lectione l. 15. §. f. de usufr. adhuc disputatur, admissa vero lectione vulgari, proprietarius, ne consentiente quidem usufructuario, servitutem in fundo fructuario constitutere potest. Rationi repugnat illa sanctio, cum penes proprietarium & usufructuarium hujus rei sit arbitrium, hinc usum illius rei merito negamus. v. SCHILT. ad ff. Exerc. 17. ib. 46. j. GROENEW. ad d. l. 15. n. 3. Sed hæc aliaque hujus generis innumera adhuc hodiè suum habere usum ab iis, qui in quovis tricarum Romanarum simeto margaritas delitescere putant, affertur. Quid hoc est, nisi nimia legum illarum estimatio?

## XV.

Sed redeundum nunc est in viam. Diximus, quod ultra rectam rationem procurrat leguleja persuasio. Jam si cogitemus, quid sit recta ratio, facile etiam constabit, quid hoc loco dicatur ultra rectam rationem procurrere. Et potest illa varie quidem accipi. Primo per rectam rationem intelligitur ea mentis habilitas, qua facultate sua rationali homò uti potest; deinde eadem ratio est ipse usus facultatum rationalium in actum deductus, seu quando mens naturali sua vi uititur, nam hæc hominibus eo fine à DEO data est, ut per eam varias res cognoscamus; amplius recta ratio est veritas in intellectu, quando mens humana objectis se applicat, & ea prout sunt concepit, seu est conformitas conceptus cum re concepta; ad huc ratio, quoad leges naturales genuino moralitatis principio, ex quo legum divinarum notitia hauritur, instrueta, etiam recta dicitur; tandem illa est, quæ regulis aequitatis & veræ utilitatis actiones humanas attemperat.

## XVI.

Quamobrem si quis ipsa mentis habilitate destituatur, qualis est furiosus & ebrius, is recta ratione profus uti non potest; si quis omnia quæ intellectui objiciuntur admittenda & præclara esse putet, is aut stuporem ostendit, aut plane absur-

absurdus est, nam usum rationis sponte abjicit & facultate sua uti non vult; si quis ideas ab objecto disformes sibi formet, is errando ratiocinatur quidem, sed non recte, & quamquam omnis error censura nimis rigida perstringendus non est, cum naturam ingeniumque humanum mutare ac infallibilia efficere non liceat: errores tamen crassiores & voluntarii excusationem non merentur; porro si quis in doctrina morali ad rectam rationem provocet, neque tamen genuinum ejus fundamentum ostendat, is rectam rationem se habere dicit quidem, sed non probat; denique, si quis vel juxta aequitatis dictamen, quo ratio imbuta esse debet, non vivat, vel in examinandis sanctionibus positivis ad illud non respiciat, in ceteris autem pro status diversitate utilitatem negligat, is debita ratione actiones suas non ordinat, & quasi sine regula lineas obliquas facit h. e. a recta ratione velut a norma aberrat.

## XVII.

Fiat nunc applicatio ad legum positivarum aestimationem, quantum ea recta rationis ductum observare vel a justo tramite aberrare soleat. Et prima quidem consideratio huc non pertinet, licet enim Legulejorum quidam nativa mentis bonitate careant, sana tamen ratione non penitus defluuntur; Imo legicrepæ alias intellectu satis acuto possunt esse prædicti, eo saltem laborantes vitio, quod ingenii capacitas illis non saltem nihil prodest, sed ob abusum etiam noxia est. Neque ille rationis rectæ significatus, qui moralitatis principium respicit ad scopum praesentem facit, nam de hoc impræsentiarum non queritur. Cætera vero locum hic inveniunt. Nam Leguleji in aestimandis legibus positivis ratione haud utuntur, falsosque de illarum præstantia conceptus sibi formant, ita quidem, ut furiosis & ebriis sape non sint dissimiles, ac præterea aequitatis & prudentiæ dictamina non raro negligant.

## XVIII.

Hinc ultra rectam rationem hic procurritur, quando vel ex præjudicio auctoritatis vel ex præcipitantia sum-

fumna sit aestimatio, legitimo veritatis examine haud instituto, nec usus rationis in consilium vocato. Ultra rectam rationem hic procurritur, quando per errorem palpabilem fit aestimatio verum objecti pretium excedens. Ultra rectam rationem hic procurritur, quando fit aestimatio neglectis, aquitatis & prudentiae regulis.

## XIX.

De cetero Legulejissimus rectissime habetur pro specie *Pedantismi*, nam hic est vana scientia aut vana doctrina cum falsa conjuncta, v. HUBER. *Orat. de Pedantismo*. Sed Leguleji & absurdo judicio & inepta sui admiratione abundant. Superstitionis titulus illi etiam bene convenit. Sicut enim in negotio religionis, ex falso, quem quis de D E O fovet conceptu, falsus & ineptus oritur cultus: ita in disciplina legum ex falsa de legibus positivis persuasione inepta oritur illarum veneratio. Imo si quis *Idolatriam* vocare eum velit, non erraverit, nam illi minimum, qui sunt legum Romanarum mancipia, legem divinam naturalem genuinum iustitiae civilis fontem deferentes, ad corruptissimarum saepe sanctorum lacunas & paludes configuiunt.

## XX.

Ferè omissem *Servitus* titulum, Legulejissimo utique tribuendum. Quemadmodum enim *Libertas Juridica* nobilis & egregia res est, eoque tendit, ut in legum disciplina veritatem inquiramus, errores oppositos refellamus ac a quovis, suadente ratione dissentiamus, nec non abusus sub justi possimum specie introductos in scenam producamus: ita duo illi extrema opponuntur *Licentia* & *Servitus*, quibus sane malis graviter decumbit veritas Juridica. Nam *Licentia*, libertati juridicæ opposita, est, si quis ex quadem animi libidine & improbitate omnia vellicat ac errores perniciosos, saepe etiam cum aliquorum injuria & opprobrio, tuerit; At *servitus* juridica est ille ipse Legulejismus, è cuius definitione antea alta & mox amplius declaranda servilis conditio satis apparabit, v. §. 24. seqq.

## XXL

Sed fortassis diu nimis in generalibus hæreo, in rem præsentem magis eundum, ac per capita potiora superstitione leguleja specialius declaranda est. Quemadmodum enim in omni jurisprudentia, etiam positiva, duo potissimum bene sunt instruenda, *doctrina* scilicet, & *docendi modus*: ita legum positivarum affirmatio in utrumque caput incidere ac vel recte vel minus recte illa se habere potest. *Quod ad doctrinam* attinet, affirmanda sunt leges positivæ, sed vero pretio, nec plus eis tribuendum, quam suo merito illæ sustinent.

Hoc est, naturalia & positiva, domestica & extraneæ rite discerni debent. Naturalia fundamenti loco sunt habenda, sed in iis non subsistendum. Positiva necessariò sunt subijicienda, sed in iis ad cæcam superstitionem non prolabendum: Auctoritatem legum positivarum extra contradictionem positam esse, merito credendum, sed legum iliarum exequitatem, prudentiam & applicationem libera disquisitioni subjacere non negandum est. Leges extraneæ possunt admitti, sed instituto legitimo dele&tū, & ut falsa sit domesticis prærogativa. Potest illis tribui suum premium, sed non infallibilites, nec quod particulare est, haberi debet pro universali. In interpretatione legum rationes sunt investigandæ, verba non captanda: In applicatione objectum caute observandum & distinguendum, non quod a statu reipublicæ & genio populi abhorret, pro recepto habendum aut quod ad privatos pertinet, liberis gentibus obtrudendum. Hac secundum objectum formale. Si objectum disciplinæ materiale spectes, cuiusvis rei veritas ex propriis principiis repetenda, nec res diversæ earumque principia permiscenda, aut cæca mente legum positivarum tradita strictè sequenda.

*Ordo* denique seu modus docendi non simpliciter ad codicis cuiusdam leges extraneas complectentis feriem exigens

gendus, sed ex objecto suo ille repetendus, ac statui generis humani siveque reipublicæ attemperandus est. Sic vera ubique & intra recte rationis limites consistens legum positivarum erit estimatio.

## XXIV.

Verum Legulejismus tam in doctrina quam docendi modo impingit, atque adeo tota ejus consideratio ad duo illa capita revocari potest. Prefecto legulejus ejurato velut rationis usu, suum legum positivarum Systema infallibile credit, ac idolum hoc cœca devotione semper adorat v. TIT. II Orat. de lib. jur. p. 30. seq. Quicquid ait, quicquid negat, ejus rationes unicæ à sancto suo legum positivarum oraculo roget, quicquid ordinat, quicquid confundit, mirabilis suo systemati debet, mentis aciem obtundit, auctoritatem veneratur, res diversas eatumque principia permiscet, immo, si ita ferat occasio, difficilibus tricis ac otiosis legibus totam rem publicam opplet.

## XXV.

In primis vero circa Jus Justinianum inepta illa se prodit estimatio. Credite, me vobis folium recitare Sibyllæ, inquit Legulejus, hocque stat principio: Quicquid Jus Romanum dicit, verum, justum & egregium est. Omnis ordo, quo illud decurrit, optimus est. Hinc non semel isthac audi vi, Jus Romanum a DEO datum, cœlitus demissum esse, librum justissimum atque sapientissimum effatis plenum, opus saluti publicæ utilissimum, beneficium divino Numini acceptum referendum. Quo etiam, ni fallor, respicit iudicium Nonnemini de præstantia operis Justinianei in Tract. de Jure Matrimon. in hunc modum pronuntiantis: Es ist nachst GODES geöffneten Wort in der Heil. Bibel kein Buch zu finden/ daran mehr Verstand und Subtile/ jedoch vernünftige und dem gemeinen Wesen nützliche Rechts. Schluß se anzutreffen/ als in den gemeinen Keyser Rechten/ quo ipso, quid laudatis legibus tribuendum sit, Auctor ille non ob Iure indicat,

## XXVI.

Sanè, est genus hominum, qui cum Grammaticis legalibus piaculum se committere arbitrantur, si Romani ab illis memorentur & non simul addatur, *cordatissimi illi mortaliū*, vel quid simile. Quasi verò alia gentes in comparatione ad Romanos fungi fuerint & cerebrum in calcaneo gestaverint; v. DN. THOMAS. *dissert. de Ius. pract. doctr. de Imped. Manumiss.* §. 2. imò est genus hominum, qui auctoritatē S. Scripturæ & Juris Romani pari passu fere ambulare existimant, ac vel in minimis legum illarum deserere sententiam religioni sibi ducunt: hinc illi interpretem, si ab aliqua juris celebrati sententia vel leviter recesserit in vitio esse, ejus verò tradita si refutarit, crimen *Ixz Majestatis Romanæ*, commississe censem. In summa, parum abest, quin leges quasdam Romanas, convolutis schedulis vel membranis inscriptas, ad instar phylacteriorum, quibus utebantur olim superstitionis Judæi, capiti alligent & finistræ, v. GOODWIN. *Mos. & Aaron. L. 1. c. 10. §. 20. seqq.* aut plane per Jus *Quiritum* dæmonia ejicere audeant. Sed hoc forte non facient, reformidaturi Ulpianum, qui *L. 1. §. 3. de Extraord. cogn. incantantes & exorcizantes perstringit eosque impostores* vocat.

Si dicendum quod res est, facile concesserimus, Jus Romanum Jurisprudentiæ cultorum manibus non esse excutiendum, utpote quod suis non destituitur virtutibus. Varia enim in illo rectè & accurate ex æquitatis principiis concluduntur, ac multi casus in omni civitate quotidie emersuri, casus scilicet a communi hominum indigenitia & malitia profici soliti, deciduntur; cuius generis leges Germani rectè desumpserunt ex Jure Romano & in Republicas suas detulerunt. Præterea per inducitionem facile probari posse arbitramur, falsum esse, si quis putet Romanos in ferendis legibus nullam planè adhibuisse prudentiam, ineptum verò, si recurrat ad asylum ignorantiæ, videlicet, *L. Non omnium, 20. de LL.* Interim tale non esse  
C Jus

Jus Romanum, quale sibi Leguleji penitus imaginantur, qui libet vanis præjudiciis tantum non obrutus, facile intelligit.

## XXVIII.

Nam decisiones, quæ in Jurisprudentia particulari ex distinctionibus naturalibus dependent, connata principia sunt, adeoque omnibus etiam gentibus, cognita, si vel maxime, nesciretur juridicum illud sapientia Romana monumentum. Fatemur ergo multa in eo reperiri, quæ sua se commendant præstantia, negamus autem hac unice dependere ab unius gentis instituto, ut hoc deficiente illa quoque deficiat. Porro, si animus advertamus, ad Jus Romanum qua tale, contemnda non sunt decreta positiva inibi occurrentia, in subsidium etiam a Germanis recepta, sed ea omnia Jurisprudentiam universalem omnibus suis numeris & partibus perfectam & plane incomparabilem, ut vulgo creditur, nondum efficiunt. At vero multa etiam haut sunt probanda, quæ in laudato opere comprehenduntur, e. g. vanæ subtilitates, alia que, quibus accedit confusio, non exigua passim obscuritas, methodus disjuncta & ubique hians, mutila eadem, manca & insufficiens. Denique si usum & applicationem spectes, multa sane a statu Reip. nostræ & genio populi aliena sunt ac principiis Germaniorum repugnant.

## XXIX.

Quod si nunc virtutes & vicia inter se conferantur, & bona cum malis, justa examinentur trutina, quis crediderit? tanta cum devotione Themidem Romanam esse adorandam, quanta quidem a plerisque adorari solet. De Jure Canonico & Feudali Longobardico, quid cordati rerum estimatores sentiant, itidem ostensu non esset difficile, sed brevitas studio me referam ad B. ZIEGLER, *Dissert. de Orig. & Incret. Jur. Canon. & TITII Specim. Jur. Eccles. l. 1. c. 2.*

## XXX.

Sed videnda nunc sunt præjudicia Leguleja aliquanto distinctius. Atque si juxta hypothesin antea §. 19. 20. 21. 22. allatam res expedienda veniat, Legulejismus, cujuscunque etiam generis leges positivas supponamus, in universum duplex

plex est: *Doctrine ac Ordinis.* De illo summatim ita habendum. Versatur Legulejismus doctrinæ vel circa *Objetum formale* sive leges, vel *materiale* i. e. res stricte dictas, actiones humanas & variis generis veritates. Quod *Objetum formale* attinet, leges positivæ vel comparari ad leges naturales, vel conferri inter se, vel extra comparationem solitaria spectari possunt. Si *eas cum naturalibus conferas*, facile apprehendes, quod Legulejismus 1.) debitam legum subordinationem non observet, sed summa imis, divina humanis, naturalia positivis misceat. 2.) Inepta legum allegatione delectetur 3.) Ipsum jus naturale infestet. 4.) Jurisprudentiam particularē ac in specie Romanam pro universali & fundamen-tali habeat.

## XXXI.

Si *leges positivas inter se compares*, Legulejismus 1.) Legitimum delectum non instituit, nec positivis juxta eorum prærogativam utitur, sed leges Romanas itidem primarias & fundamentales esse censet, cum tamen positiva illa juris saltem subsidiari rationem habeant. 2.) Hinc jus Romanum in dubio præfert. 3.) In dissensiis juris extranei & Germanici illud per hoc correctum esse dicit. 4.) Leges & instituta Germanica ex Romanis aliisque iuribus extraneis explicat. 5.) Ex jure Romano restringenda esse iura Germanica statuit. 6.) In comparatione ejusdem Juris cum Canonico & Longobardico vel nullam differentiam admittit vel Romano primas defert. 7.) Omnia populorum leges & instituta ad illud exigit. 8.) Hinc hoc etiam respectu leges inepte allegat.

## XXXII.

Quod si *seposita comparatione leges positivas simpli-  
citer intueamur* ac Legulejismum circa eas observemus,  
1.) Vitia legum ille non agnoscit, sed corruptissima quæque in  
ensem legum utilium refert. 2.) Sanctiones recte se haben-  
tes sine causa nimis extollit. 3.) Nullas antinomias admit-  
tit. 4.) Male & superstitione interpretatur. 5.) Male & su-  
perstitione applicat. De *Objeto materiali* si quæramus, Legu-  
lejus

Iesus 1.) quasvis veritates ex angustioris sua doctrinæ principiis deducere satagit. 2.) Falsa refutare non audet. 3.) Quoties ad quæstiones ludicras prompte respondere potest, in sinu gaudet ac de magna juris scientia sibi animitus gratulatur v.g. Ubi extat *Pater noster* in institutionibus? §. 3. *J. de Donat.* Ubi corpus Juris in corpore Juris? *L. un. C. de R. II. A.* Ubi describitur ein geduldiger *Hahnrey?* *l. 29. pr. ad L. Jul. de adult.* verb. *adumbrare patientiam pretextu incredibilitatis.* Quænam lex in toto corpore Juris brevissima est, constans tribus syllabis? *L. Et loco 2. de Incend.* Ubi *JCTus Paulus* metrice seu versu loquitur? *L. Cum sponsus spōse servum donasset, eumque, 12. de Pn-*  
*blit. in rem act.*

## XXXIII.

Sed quid dicendum de *Ordine & modo docendi?* (1) Methodus leguleja necessaria non continet, sed maximam partem aliena sectatur: nam philosophia generalis, quæ passim proponitur captui disciplinæ non est attemperata; ius principale in scholis negligitur & subsidiarium pro fundamento habetur, illud non nisi per saturam recensetur, hoc ubique eminet; obsoleta & inutilia inculcantur, necessaria & utilia omittuntur, hinc iustissimæ illæ hominum forensium querelæ, periisse operam studio juris olim datam, perriisse impensam in collegia juridica factam, inutilia se didecisse, utilia se ignorasse, ipsa demum praxi veram juris cognitionem esse comparandam. (2) In specie res naturali ordine non exhibentur: nam omnis ordo ad confusum legum Romanarum chaos velut damnatus est, ut ex harum serie, non ex ipso legum & disciplinæ objecto illum hauriendum esse vulgo existimetur. (3) Idem Legulejismus allegationem quoque iurium tadiosam, ineptam & fere ridiculam introduxit,

## XXXIV.

Cæterum hoc in genere etiam ad naturam Legulejismam ratione doctrinæ, quam ordinis pertinere videtur, (1) quod bonum esse JCTum credat, non eum, qui de casibus secundum leges judicare novit, sed qui bene leges & casus obve-

obvenientes memoriarum mandare potest, unde alio iterum respectu otiosa occurrit legum allegatio. (2) Quod ipsi etiam legislationi sit molestus, cum enim a J. C. tis emendatio Jurisprudentiae privata instituenda sit, ut facilius sequatur publica publicis auspiciis suscipienda: Legistae vel institutis haec tenus usitatis stricte inhærendum esse existimant, vel nova etiam monstra progenerant; quod si vero dormientis rete trahant illi & legislatori plane à consilii esse jubantur, ipsam legislationem inquinant, ac nova subinde mala novaque damna serunt.

## XXXV.

Haec tenus naturam Legulejismi velut in Sciographia re-presentavi, deinde non saltem per exempla ex Jurisprudentia privata & publica, item ex doctrina Theologica desumpta omnis res declaranda, sed etiam in ulteriori thesaurus propositarum expositione ad magis specialia descendendum est. Sed cum versemur adhuc in tractatione præliminari, latiorem discussionem ad capita specialiora reservare libet; ne tamen præfens caput plane sterile videatur, pauca saltem exempla delibabimus.

## XXXVI.

Quando queritur, an Princeps teneatur legibus civilibus & ecclesiasticis? rectè respondetur negando, quia legibus solitus est. Verum si ulteriore rationem exigas, Legulejus ad solam l. 31. de LL. provocat. Hinc vide quomodo naturalia & positiva confundat, Jus Romanum pro universali habeat, & genuinam interpretationem negligat. Vera quidem est sententia legis allegata, sed non positiva. Juris naturalis est illa propositio, lex 31. d. 1. saltem illustrat, per se non probat. Solida vero ratio in eo vertitur, quod legislator seipsum obligare nequeat, nemo enim seipso superior adeoque obligans & obligatus esse potest. De cætero ad leges humanas non divinas præsentem quæstionem referendam esse, manifestum est.

Pactum de non petendo obligationem, alio quam contractu consensuali constitutam, non tollit; sed summo jure illa obligatio subsistit: debitor tamen habet exceptionem doli mali vel pacti. Negotium coactum summo jure valet, sed vana, quæ subest obligatio, est instar partus paululum spirantis momentoque animam exspirantis, nam excipi potest, & restitutione vinculum cerebrinum rescinditur. §. 1. 3.  
*I. de Except. j. VINN. in not. l. 19. de Acceptil. LAUTERB.*  
*Tit. quod met. caus. item Tit. de Except.* In processu antiquo hæc usum habuisse scio, sed magnam fori Romani corruptionem fuisse non ignoro. v. l. 18. Commun. divid. l. 8. 9. C. d.  
*Except. l. 10. §. 2. de pignor.* Hodie sive ipso jure obligacionem solutam, sive eam stricto jure fundatam, invalidam fuisse dicas, res eodem recidit. Evidem nonnulli hoc discrimen subesse putant, quod actione ipso jure non competente, actor statim repellatur, eadem vero summo jure fundata, lis contestanda ac exceptio subjicienda sit. Verum committitur fallacia causæ, nam diversitas illa dependet ab exceptionis evidentiâ vel obscuritate, si enim exceptio in continenti probari queat, tum actorem statim repellit, si alterius indaginis sit, tum post litis contestationem allegari debet. v. R. I. de Ad. 1654. §. 37. O. P. S. Tit. II. §. Was aber.  
 §. Es waren.

Romanorum de pactis doctrinam involutam, subtilem, otiosam & sepe iniquam esse, nemo cordatorum forte negabit. An in Germania simplicitatem juris naturalis, an vero scrupulosa juris civilis discrimina circa contractus sequamur, quæstio est? Sine hesitatione cum TITIO in Obs. Lauterb. 57. n. 8. & Jur. priv. l. 2. c. 5. §. 11. seqq. dicendum puto, bodiè omnes contractus esse consensuales, adeoque diversas partorum differentias & denominationes sensu juris Romani non amplius occurrere. Nam constans est interpretum doctrina, ipso etiam usu factis probata, ac candore Germanorum omnino digna, quod pacta nuda, stricta tamen & per-

fcll

*Sebē inita in foris Germanie actionem producant.* v. CARPZ.  
*P. 2. c. 29. d. 17. c. 32. d. 10. n. 9.* MEV. P. 5. Dec. 408.  
*SCHILT. ad ff. Exerc. 8. §. 5.* STRYK. ad Lauterb. C. J.  
*de part. p. 108.* Interim tamen multi quos admiratio juris  
 civilis in transversum egit, in principiis tam afferendis quam  
 applicandis falluntur; multa vero negotia, bona fide gesta,  
 sola opinione leguleja irrita fiunt. Nam, ut hic unicum  
 saltem hujus rei adducam exemplum, usum contractuum  
 innominatorum non pauci strenue defendunt, ideo, quod  
<sup>(1)</sup> nullibi sint abrogati <sup>(2)</sup> pacta preparatoria ne quidem hodie  
 sint obligatoria; talia autem occurtere in consensu, qui in  
 contractibus innominatis dationem aut facti præstationem  
 antecedat ipsis certum videtur. v. LAUTERB. C. J. de part.  
*Lit. E. ALIAQ. SYSTEM. passim.*

## XXXIX.

Verum, quod ad primum, frustra requiritur abroga-  
 tio, quando nunquam facta est receptio, nec ob principium  
 Juris Germanici ea fieri potuit. Quod alteram objectionem  
 attinet, primò non concederem, quod pacta preparatoria  
 non sint obligatoria, nam in iis datur consensus verus &  
 serius de ineundo pacto principali; Secus est, si per ea  
 intelligas nudos tractatus, qui sunt cuiusvis fierii & perse-  
 cti consensus preparatio, qua partes convenientes mentem  
 declarant, quid de perfecto consensu aliquando forte in-  
 eundo sibi videatur; deinde falsum est, quod conventio  
 ex qua contractus innominatus exsurgere solet, sit pactum  
 preparatorium, nam hoc à negotio principali semper manet  
 distinctum, v. gr. pactum de emendo, illa vero juxta aestima-  
 tionem naturalem est ipsum pactum principale & rei præsta-  
 tio ad ejus consummationem spectat, juxta Jus Romanum  
 autem conventione ingreditur negotiorum principale seu con-  
 tractum innominatum, ac cum rei præstatione ejus essen-  
 tiā constituit.

## XL.

In Jure Romano fictionum plena sunt omnia. Quem-  
 admodum vero stultitia Romanorum, aut, si mavis, im-

pro

probitas, qua res planas involvere ac captiosas leges ferre soliti sunt, pro causa fictionum agnoscenda videtur: ira, licet multi interpres nimio legum Romanorum amore abrepti iis deliramentis valde delectentur, tamen fictionum omnipotentia nihil est, sed merum ens rationis, quo factum infectum, & infectum factum fieri nequit; quis enim crederet nudam fictionem, deficiente alia causa, juribus & obligationibus excitandis sufficere? Sane omnis effectus qui ei otiosè & inepte tribuitur, in legibus ferendis ex voluntate & potestate imperantis dependet, in rebus autem moralibus explicandis jura & obligationes vel ex consensu tacito descendunt, vel lege positiva aut naturali sine pravio consensu ob aliud factum constituntur, ut fictionum ineptis facile carere queamus. Sic in traditione brevis & longæ manus, verum effectus realis fundamentum non est fictio, sed legislatoris voluntas. Desperata est philosophia in §. 5. *J. de oblig. que quas. ex contr. nam hares legatorum nomine non propriè ex contractu obligatus intelligitur, & tamen, quia ex malicio non est obligatus, quasi ex contractu i. e. (juxta vulgarem Romanorum & Interpretum sententiam) filio consensu debere intelligiur.* Nesciunt illi genuinam obligationis causam, hinc ad fictionem recurrent. Sed agnitus ultimæ voluntatis, qua hares obligatur ad legata & fideicomissa praestanda, est verum negotium consensuale, quod ex voluntate legantis & acceptance tam legatarii, quam haeresis appetit. Negotiorum gestio pro quasi-contractu habetur, & consensus itidem fingitur, sed gestor ex suo facto obligatur, dominus vero ex accepta utilitate, hanc enim nisi rependeret, alterum laderet, quod jus naturæ prohibet, & sic in ceteris. Hinc illa doctrina non sicutem inutilis, sed & perniciosa est, nam nebulae menti offendit, solidamque adeo cognitionem impedit.

## XLI.

*Quod afflito non sit addenda afflictio probatur per cap. Ex parte 5. X. de Cleric. agrot. Quod virginitas non possit restituiri per L. 1. pr. C. de rapt. virg. Item, quod is qui vult*

vult finem credatur etiam velle media ex L. 2. de jurisd. Quod impossibilium nulla sit obligatio ex L. 185. de R. J. Quod errore veritas non amittatur ex L. 6. ad Munic. deducitur. Sic enim quasvis veritates propriis jam principiis suffultas ex legibus positivis, Pontificiis, Romanis aliisque repetit Legulejus, quasi vero illa omnia nesciremus, si Romani nos eadem non docuissent. Facile tolerari posset ista legum allegatio, si illustrationis ergo fieret, sed cum multi interpres ejusmodi dictamina velut leges cardinales commendent atque excerpant, nec veritatem aliquam Logicam, Ethicam, Physicam aut communis experientia jam probatam admittant, nisi probatio legalis addita fuerit, facile apparet non aliam hic subesse persuasionem quam Legulejam.

## XLII.

Secundum Ordinat. Matrim. Saxon. Tit. von Eher Geslobnissen §. Würden in liberos, invitis Parentibus matrimonium ineuntes, pena statuta est, ac in specie pro ratione circumstantiarum parentes exhæredare possunt liberos vel in solidum vel pro dimidia parte legitima; quodsi vero sine causa dissentiant parentes ac a Magistratu sponsalia permittantur, an tunc exhæredatio aliqua obtineat, queritur? Non nulli hoc affirmant, vid. CARPZ. J. E. l. 2. d. 54. quemadmodum etiam post Carpzovii tempora a collegio non incelebri ita pronunciatum esse memini; Negat idem SCHILT. in Exerc. ff. Tit. de Sponsal. §. 22. Cujus sententia merito adstipulamur, cur enim dicta Ordinat, verba captare, nec æquitas rationem admittere velimus? nam quis sibi persuadere poterit justam & injustam dissensus causam eodem effectu a legislatore esse donatam, cum nec verba nec ratio legis duram hanc interpretationem exigant. Aliquando casus speciales v. g. si Dominus territorialis in bellum eat, aut institutis comitis provincialibus civitas deputatos suos ableget, precibus publicis includuntur, quæ clausulæ, cessante casu, ipso velut jure cessare debent, ut non opus sit speciale expectare mandatum, licet praxis aliam legis interpretationem observa-

D

re

re ac precibus DEO fundendis ludere soleat. Legulejismi exemplis hæc annumeranda esse, non ambigo.

## XLIII.

Misis nunc iis, quæ ad doctrinam Legulejismi spectant, modum docendi paucis etiam ex Institutionum compilatione illustrabimus, nam confusum Pandectarum chaos censuram rigidiorem meretur. In parte institutionum præliminari Tribonianus omisit actiones humanas, merito sub initium statim explicandas, cum illæ in omnes juris articulos deinceps influant, neque de actionum moralitate recte judicari queat, nisi earum indeo jam fuerit cognita. De natura interpretationis & applicationis ne verbum quidem dicitur, & tamen in tractatione principali deinde, velut in actu exercito, illis mediis utendum est. In parte principali multa aetate Triboniani jam obsoleta v.g. Tutela legitima jure veteri usitata, Successiones sublatæ, aliaque adducuntur, cum vel sola illa nominatio ex legibus tractatus elementaris reprehendi debeat. E contrario ea, quæ v.g. de Sponsalibus, de Juribus conjugum, de jurisdictione, de natura dominii, possessionis, aliisque rebus scitu necessaria sunt, in Institutionibus frustra quæfieris, quemadmodum etiam doctrina processus nimis jejune proponitur, dum nil nisi fragmenta quædam refert egregius ille compilator sine judicio & arte.

## XLIV.

Institutiones in Libr. 2. demum & 3. Jura & Obligationes exponunt, cum autem de illis per universam juris prudentiam in actu exercito agatur, hinc rationis est, ut statim post tractatum legum signatae rerum moralium indoles explicetur, quæ ut multa alia non satis intellexit Tribonianus. L. 2. Tit. 3. 7. ostenditur, circa facultatem alienandi restrictiones legales occurtere in marito & pupillo, deinde quædam dicuntur, de creditore pignus alienante. Sed totus ille titulus fugitus est & ostendenda saltet compilatorum imperitiz insertus, nam præcedens titulus agit de donationibus, & subsequens de acquisitione jurium per alios,

alios, hinc ea, quæ in *diit. tit. 8.* de Marito afferuntur, post Titulum de Nuptiis exponi debent, quæ de rebus pupillari- bus trāduntur, ad materiam Tutelæ pertinent, quæ de alienatione pignoris subjiciuntur, cum materia pignoris sunt conjugenda.

## XLV.

Doctrina ultimarum voluntatum ita est instruenda, ut præcedat successio ab intestato & sequatur testamentaria, nam illa est antiquior & hanc quodammodo restringit; in explicandis vero testamentis primo absolvendus est modus testandi ordinarius, antequam prolabatur methodus ad exceptionem i. e. modum extraordinarium seu privilegiatum; præterea omnes ultimæ voluntatis species legatis præmittere decet, cum hæc etiam codicillis relinquiqueant: Verum Tribonianus confusissime omnia propofuit, ut vix mica judicij in tota illa tractatione appareat. Hæc igitur aliaque ordinis vitia in Jure Justinianeo occurrentia serio laudare & magni æstimare manifestum Legulejismi specimen est. Non me latet, quod magni Nominiſ ſCti aliter longè de præstantia methodi Tribonianæ jugident, sed veritatem hoc non mutat, quin inde etiam agnoscere potest, quanta præconceptarum opinionum sit vis ac pertinacia. Plura vel doctrinæ vel ordinis exempla addere non libet, nam ex ungue etiam pedanticus ille leo, vel, si mavis, ex cantu aut plumis avis leguleja cognoscitur.

## XLVI.

Emblemata quæ hactenus recensui ad Jurisprudentiam pri- vatam spectant. Non minus Legulejorum ineptiæ in Jurispru- dentia Publica etiam deprehenduntur. Sic Requifita Imperatoris Germanici ex *L. 7. C. de Municip.* probantur, h. e. fallacia causæ committitur, dum theſi, alias veræ, otioſa additur pro- batio. Adducuntur etiam leges privatæ ad Statuum matrimonii & contractus pertinentes: Verum hoc respectu Imperantes ad jus privatum pertinent, quamvis ob præsupponi- tam imperandi conditionem, ne quidem in Jurisprudentia

privata, leges humanæ iis applicari regulariter queant. Deinde insulsa est doctrina, quæ Imperatoris jurisdictionem circa feuda imperii sese exferentem ex i. f. 18. repetit, nam quod Proceres jurisdictionem judicij aulici agnoscunt, hoc vel ad leges Germanorum fundamentales vel secretores statuum rationes referri debet. Quinta vero Legulejismi essentia ac interior captionum Romanarum medulla est, quando admiratores Juris extranei docent, Romana actionum instituendarum nomina in judiciis Germanicis esse necessaria. Nam sicut obsoletum illud jus rabularium neque in causis privatiorum est receptum: Ita multo minus in judiciis statuum imperii usum habere potest, cum perinde sit, quomodo appelles actionem, modo factum in libello bene recensueris ac petitum inde congrue formaveris.

## XLVII.

Denique ipsis etiam legibus fundamentalibus abutitur Legulejismus. Nonnulli enim Juris territorialis independentiam destructuri, contendunt, status imperii esse veros subditos, eamque sententiam firmissima ratione a formulis legum publicarum imperiosum desumpta probari posse censem. v. ITTER. de Feud. Imper. cap. 19. §. 9 seqq. Sed illi argumento nihil roboris inesse, certum est, cum enim leges imperiose loquentes juxta conditionem statuum imperii explicari debeant, ideo sub schematibus illis Monarchicis arctiorem nexus non latere facile patet. Propositum capitinis præliminariis non patitur, ut pluribus vel speciebus vel exemplis hoc Legulejismi genus declaremus, hinc ad illud vel digitum intendisse mihi jam sufficiet.

## XLVIII.

Progredimur nunc ad Legulejismum, quem dixi Theologicum. Primo autem dubitari potest, an detur Legulejismus in Theologia? cum nimia & ultra rectam rationem procurrent estimatio heic improbetur, leges autem a DEO in S. Scriptura promulgatae nunquam satis estimari queant. Sed responderem, nobis hic sufficere, si fateamur adesse saltem aliquam Legulejismi affinitatem & similitudinem, quando

do verba S Scripturæ æque ac verba aliarum legum positivarum nimis captantur, citra legislatoris voluntatem absurdè extenduntur, ac inepte allegantur. Imo nil obstat, quo minus etiam in sensu proprio nimiam ac ultra rectam rationem procurrentem æstimationem circa leges revelatas statuamus, licet omnes species æstimationis antea exposita huc non redeant. Sicut enim intentio legislatoris etiam in æstimatione legum revelatarum normam constituit, & recta ratio heic est, quæ sua facultate recte utitur aut cognitione divinæ voluntatis recte imbuta est: Ita quicquid intentionem supremi legislatoris excedit, nimium est, quicquid autem in æstimanda lege revelata legitimis interpretandi mediis non utitur, atque adeo citra voluntatem Imperantis verba captat, id ultra rectam rationem procurrentem legum positivarum revelatarum æstimatio non immergit dicitur.

## XLIX.

Quid multis? Legulejismus Theologicus superstitionis illius, quam S. litera & earum interpres impugnant, species est. Quemadmodum enim hac in genere est falsus de DEO conceptus atque ineptus deinde cultus, ex prava ratiocinatione vel traditione originem ducens: ita eadem in specie circa leges revelatas occurrit, atque cum nostra Legulejismi definitione hanc tenus conspirat. Ceterum si aliam definitionem illi, quam §. 5. dedimus, ad latus velut ponere, ac Legulejismum definire velis, quod sit ineptus legum positivarum abusus, ut Rabulismus malitiosus earum abusus est, tum non penitus repugnabo. Sic enim definitio, quæ intuitu legum revelatarum duriuscula videbatur, sub mitiori aut generaliori hoc conceptu, magis forte placebit, modo memineris posteriorem descriptionem priori non repugnare, sed illius velut summum genus esse, ab ea que specialius explicari, nam si queras in quo consistat ille abusus, si Legulejismi titulo insigniri debeat? tum sine dubio respondentum erit, ad nimiam & absurdam legum æstimationem ubique esse respiciendum.

Deinde si quæsiveris, quæ sint hujus Legulejismi exempla? multa passim prostant, sed in hac præparatione paucis erimus contenti, præcipue cum in futura tractatione opus fuerit, hanc etiam æstimationem in diversas distinguere species. Interim exemplum Legulejismi Theologici est, quando nonnulli leges matrimoniales *Levit. XIX.* gradus consanguinitatis & affinitatis prohibitos determinantes, ita explicant, ut personas ibi nominatim expressas solum attendant, in reliquis autem dispensationi locum esse putent. *Quis enim bonis rationibus demonstrare poterit, DEUM ad personas nominatas tantum, non ipsam prohibitionis rationem alias sœpe inculcatam h. e. ductum sanguinis respsisse?*

Aliud hujus Legulejismi exemplum est, quando textus *Matt. XIX. 5. Was GÖTT zusammen gefüget hat/ das soll der Mensch nicht scheiden/ ad sponsalia applicant, nam quod verba illa perfectum matrimonium, non pactum de ineundo matrimonio respiciant, id ex natura utriusque negotii, contextu hujus dicti, aliisque S. Scripturæ locis facile cognosci potest.* Insigne vero Legulejismi Theologici specimen occurrit circa textus *Matt. XIX. 17. 2. Thessal. III. 14. Mattb. VII. 6. 2. Job. vers. 10. Rom. XVI. 17. Gal. I. 8. Tit. III. 10. 1. Cor. V. 4. seqq.* Nam Theologorum non pauci ex iis locis violentam excommunicationem, indoli religionis, Majestati divinæ, allegatis Scripturæ dictis, ac hodierno ecclæsiaz statui penitus repugnantem, deducere satagunt. Quæ de re haec tenus in utramque partem sœpe disputatum, ac in specie a TITIO in specim. *Jur. Eccl. L. 3. c. 6. Jur. priv. L. 9. c. 16.* nec non in ulteriori laudati *Juris Ecclesiastici Declaratio-*ne plenius dictum est.

Sed hanc disquisitionem aliquis forte ideo reprehenderit, quod in Dissertatione Juridica non tractanda sint Theologica? Et negari quidem non potest, frequentissimam hic

hic esse confusionem, cum sepe theologica & juridica sine delectu permisceantur, & qui v. g. sanctiones humanas circa externum eucharistiae usum varia ordinantes, explicant, ad specialissimas quæstiones Theologicas, ad institutionem, materiam, & usum S. Cenæ attinentes, delabuntur. Ast si dogmata communia non satis certa videantur, & ea tamen tractationi juridicæ sint prejudicia, cuius generis sunt exempla præcedentia, tum eorum explicationem merito sibi Jurisprudentia etiam afferit.

## LIII.

Cæterum ex haec tenus dictis etiam colligi poterit, Leguleijustum non perire ad leges naturales, nam ille decreta naturalia vel penitus contemnit, vel tanti, quanti eadem sunt, non estimat; deinde sicut persuasio de universalitate Juris cuiusdam positivi falsa est, & ultra rectam rationem procurit, ita universalitas Juris naturalis vera est & cum recta ratione convenit; præterea cum legum naturalium & cognitio & interpretatio pura ratiocinatione, qua scil. mens humana veritatem & præcepta legis naturalis ex diligentia naturæ humanæ contemplatione eruit, absolvatur, legis autem positivæ ratiocinationem in signis externis aliquaque circumstantiis occupatam requirant, & magis velut in oculis incurant: hinc neglectis olim naturalibus, positiva præjudicium auctoritatis ineptamque reverentiam facile semper admiserunt.

## LIV.

Potest quidem legum etiam naturalium aliquis esse abusus. Alii enim in expediendis negotiis civilibus ad positiva respicere nolunt, ac in sola Juris naturalis determinatione acquiescentes rempublicam sanctiōnibus arbitriis plâne carere posse sibi persuadent; alii, ex rerum moralium ignorantia, quamvis actionem indifferentem legi obliganti subjiciunt, aut alias tricantr, vanasque quæstiunculas ponunt. Verum licet non absurdum foret Leguleijustum significatu adeo lato & generali accipere, ut quarumvis legum, naturalium & positivarum, ineptum denotet abusum: usu tamen

rece-


receptum est, ut illud Jurisprudentia vitium, semper de abuū legum positivarum, nunquam verò naturalium intelligatur, maximè cùm Legistarum & Legisticz nomen ex auditum fuerit, antequam legim naturalium disciplina, olim penitus neglecta aut parum exulta, in scholas juridicas introduci cœperit.

## LV.

Atque hæc sunt, quæ de natura Legulejismi in genere raptim commentari mihi licuit, summas, hujus rei lineas ducere, propositum fuit, quod fortassis etiam tenui. Cùm vero illa omnia, quæ hacētus tradidi, plenius patululum ac magis distinctè evolvi mereant: hinc promissi memores capita Legulejismi Juridici & Theologici specialiora in ipso introitu jamjam indicata, sigillatim perpendemus, nec non ea, quæ, juxta indicium proemii, de causis hujus vitii, incommidis, remedii & comparatione ejus cum Rabulismo, similibusque dicenda sunt, speciatim exequemur.







Erfurt, Diss., 1713-14.

X 2386987





B.I.G.

Black

19

18

17

16

15

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Pr. I. g. I. num. 31. No. 37.

d. 27.

24

Dissertatio Juridica Inauguralis,  
DE

## LEGULEJISMO,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINOPHILIPPO WILHELMO,  
S.R.I. COMITE DE BOINEBURG,SACRAE CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum MO-  
GUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE  
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE;ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS CONSENSU  
IN PERANTIQA ELECTORALI ERFURTensi UNIVERSITATE,PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CAPESSENDI,

AD DIEM XXI. JUN. M DCC XIV. HORIS LOCOQVE CONSuetis

PRIORI VICE

PUBLICÆ DISQVISITIONI SUBJICIT

CHRISTIANUS SchöN.

ERFORDIE, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, AGAD. TYPEGE.